

tentiam in sequenti conclusione aperiamus, observandum est nullum axioma ratione certitudinis, atque evidentiae primum dici posse, cum omnes propositiones, quae axiomatis nomen merentur, & quae certe sunt plurimae, terminis intellectis, statim manifestae esse debeant, nullaque probatione indigeant. Neque primus locus tribui potest axiomati, quod primum menti occurrit; etenim quoddam sit axioma illud nulla ratione potest definiri: immo cum axiomata sint propositiones universales, axiomatibus priores esse propositiones singulares facile patet ex iis, quae de universalium formatione in Logica explicata fuerunt. Et quidem licet ideas innatas aliquo modo probaverim, res tamen in eo sensu intelligi non debet, quo a vulgaribus Cartesianis usurpatur: idearum innatarum nomine nihil aliud intelligo, nisi ideas intellectuales ex ideis aliis singularibus facili ratiocinatione eliciendas, nullam vero propositionem universalem sine aliqua in ideas singulares reflexione acquisitam admitto. Sed de his legantur, quae dicta sunt in Logica. Itaque praesens quaestio intra hos limites restringi debet, nempe primi principii nomine intelligimus axioma illud, ad quod tandem reduci possunt caetera omnia axiomata, saltem indirecte, & per quod possunt probari, si ea ab aliquo pertinaciter negari congerit. His positus sit: